


Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

**Carmina saecularia quibus Augustanae confessionis anno
MDXXX in comitiis imperii universalibus exhibitae
memoria in Academia Francofurtana ... anno MDCCIII
celebrata fuit**

Francofurti ad Viadrum, [1730]

[urn:nbn:de:bsz:31-67517](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-67517)



80A 8946 R

Handwritten scribble

KSIFCARNI
KUNST

11.
Rf
ST

af. 39

7/134


Theol. 535

histo.

3. 20
2. 20

6.

histo.



Conspectus
Dissertationum ad histo-
riam Lutheri, refor-
mationis, A. S. C. et
Ecclesiae Luther.
spectantium.

1. M. I. A. W. de Lutheri o-
mnia in omnibus
2. Dauhawen Memoria Thau-
massandi Lutheri.
3. Valentini Alberti, de virtute
heretica, Lutheri, Matthiae Fla-
cii et Jacobi Andreae.
4. Scharfii, Joh. Lutherus re-
formator.
5. C. T. Kangovis editio Pontifi-
cis Rom. Leonis X. litterae in-
dulgentiarum.
6. Danielis Gaxeri in natalibus
memoriam Lutheri oratio, qua-

lexam annuali sit papa ruanus.
7. loh. Wencesl. Sens Lutherus
cum Sole comparatur.

8. Professio Wysbague Dr. Cris.
Wendts, Wendts, J. Martii

Lutherus ^{praeter intentionem adhaeret}
Wendts ^{idem dicitur & fupra p. 16. u. Walsbyllus apud p. 109.}
9. loh. Baldhaf. Bernhold de cha. ^{duar. 1699.}

factenbas pseudopropheta nuy
in Martino Lutheri uirtute
omnium obuiis.

10. Laurentii Rhodmanni oratio
de praecipuis dei beneficiis a
deo per VII. Saxoniae Electores
et d. Martin. Lutherum et d.
Philipp. Melancthonem in aca-
demiam Witeberg. collatis.


11. loh. Fr. Mayer, utrum B. Lu-
therus philippo Landgrauio
bigariam concesserit.

12. Joh. Andr. Jarzii, pro lu-
thero ex accisionem styli re-
prehensio.
13. Pauli Jacobi Eckhardi Vindi-
ciae J. Lutheri et J. Melanch-
thonis ab infami peritura.
14. Martin. Lutheri aliquot nomi-
na propria germanorum.
15. Nicol. Leptevien oratio histo-
rica de initio, causis et pro-
gressu C. A. et de vita ac
laboribus, J. Mart. Lutheri, po-
stremae aetatis Eliae.
16. Gottlieb Wernsdorffii, Augusti-
nae confessionis historia.
17. Joh. Balthaf. Bernhold de fi-
dei formulae praecipue A.
C. iustitia et usu.
18. Alb. Georg. Schwartzii de styli
A. Conf.

19. Io. Christ. Guesz filii de Au-
gustana confessione Pabli dot-
Sicii, medici Halensis cura grae-
ce reddita.
20. Io. Wilhelm. Loeperi, de aucto-
ritate A. C.
21. M. Henr. Christ. Crellii de di-
vinae providentiae vestigiis
in scripturae A. Conf. negotio.
22. Erasm. Parthol. Egerland ad
do Regulam summi numeris
circa A. C. providentia.
23. Andr. Westphalii de duabus
Ponderatione pro studio servatae
A. C. etc.
24. Acad. Francos. Comitia re-
gulata in A. C.
25. Geshardi Filii, Vindictae A. C.
26. etud. Vindictae Lutheranae.
27. M. Andr. Oru. Caroli de Religio-
ne Lutherana.

28. C. Trib. Kangis, ecclesiam
lutheranam non schismaticam
esse.
29. Leveni Lintrupii Anglia
plantavit modis lutheranizans.
30. eiusd. sub Heib. Gottfr. Nassio
Galbra multo modis luthera-
nizans.
31. Joh. Kalckmanni prore-
mationis lutheranae tuba de-
perpetuo christianorum iubi-
lata. Additus est catalogus
doctorum et professorum theo-
logiae in academia Witteber-
gensi.

F r a n c.



2217.

CARMINA SAECVLARIA

QUIBUS

AUGUSTANÆ
CONFESSIONIS

ANNO MDXXX IN COMITIIS
IMPERII UNIVERSALIBUS EXHIBITÆ
MEMORIA

IN

ACADEMIA FRANCOFURTANA

d. XXVI. Jun. Anno MDCCXXX.

CELEBRATA

FUIT.



FRANCOFURTI *ad VIADRVM.*
apud JOHANN. GODOFRED. CONRADI.

ak 25 an 80 A 8946 R
CONCENTVS MUSICI
ORATIONI SAECVLARI

d. 26. Jun. 1730.

IN

AVDITORIO MAJORI PHILOSOPHICO

HABITÆ

PRÆMISSI

à 4. voci, con Violini, Hautbois, Trombe, Timpani
& Bassi Continui,

ET HYMNO

TE DEVM LAVDAMVS,
FINITI.

Pf. CXLVII.

v. 1. *Tutti.* Laudate Dominum, quoniam bonus est psalmus
Deo nostro.
Canto solo con 1. Hautb. Sit jucunda decoraque laudatio.
il finale à Tutti.

Aria Canto solo con una Harpa.

Insigne carmen porrige barbite,
Non ante junctis æthera vocibus
Mulcendo, digne pulchra sanctis
Infere Melpomene beata.

e Tenore solo con 2 Viole di gambe.

Nam dissipatis junget ovilibus
Pastor supremus lanigeros greges:
Augusta quod lufit fluentis
Vindelicos pariendo junctis.

Da Capo.

V. 2.

v. 2. *Basso solo con 2 Violini, il finale à Tutti.*

Aedificans Jerusalem Dominus dispersiones Israël
congregabit,

Tutti.

Halleluja.

v. 12. & 13. *Tutti.* Lauda Jerusalem Dominum, lauda Deum tuum Sion,
Quoniam confortavit feras portarum tuarum, benedixit
filiis tuis in te.

*Aria Canto solo con 2 Violini, una Tromba &
una Harpa, il finale à Tutti.*

O Sionitis rue læta plausu
Conjugi Christo sociata nympha,
Quicquid in nervis sapis, aut in ære,
Prome Jehovahæ.

e Tenore solo con 1 Hautbois.

Tollit Augusta tua vox in urbe
Fervidum melos liquidi canoris,
Scoriis nudum pia confitetur

Concio Carmen.

Da Capo.

v. 14. & 15. *Basso solo con Violini.*

Qui posuit fines tuos pacem, & adipe frumenti satiat te,
Qui emittit eloquium suum terræ, velociter currit
sermo ejus.

Aria Tutti.

Prusficas videt coronas
Marchici colonus arvi,
Fridericias olivas
Fridericiosque flores
Guilielmici triumpho.

Francofurto contulere congiis capacibus.

Musa gaude, Musa ride,
Numinis superba fotu,

) 2

Jusque

Jusque fasque consecrantur,
Miles ornat ipse pacem,
Numen inter nos perorat,
Sospitatque cuncta nostra sospitando Principem.

Da Capo.

v. 19. & 20. à 4. Voci & Basso Cont. senza stromenti.

Qui annunciat verbum suum Jacob, justitias & judicia
sua Israël.

Non fecit taliter omni nationi, & judicia sua non ma-
nifestavit eis.

Tutti.

Halleluja.

CARMEN SAECULARE

A. cl̄o l̄ccc xxx. d. 26. Iun.

EFFVSVM,

QVO DIE

ACADEMIA VIADRINA

MEMORIAM REPETIVIT

Libertatis sacrorum Protestantium utriusque
Evangelicæ Communionis

Ante ducentos annos

Oblata Cæsari Confessione Augustana
Vindicatæ.

Christe

CHRISTE, qui duri fera terga ponti
Nave fregisti, volitante remo,
Et vales murmur reboantis undæ
Ponere voce.

Si tui cætus gemini fuerunt
Seviri quondam nota ludibunda,
Audias & nos & amata semper
Vota tuorum.

Est tibi cordi Viadrina Musa,
Et decet castas modulamen aras,
Quod venit fervens juvenum virentum
Guttore sancto.

Sunt tibi voces pariter verendæ,
Vrbis Augustæ spatiis receptæ,
Qua Licus ripas sociante Vindo &
Murmura jungit.

His malas faces radiis resorptas
Vidimus, lufrante DEI lucerna
Sæculis multis rapuisse sævas
Lumina noctes.

Sensit ejectus domibus sacratis
Institor sædus trepidos tumultus
Pectoris, felix ut Eos nigrantes
Demserat umbras.

Alme Rex, frontem radio recincte,
Cui Pater, divum bonus imperator
Tradidit regnum, bonus & Boruffas
Tradidit arces:

Cui vagum Suevum, nitidosque fontes
Oderæ Musam strepitu foventis,
Regii Montis Pregelam, humidosque
Flectere fratres.

Qui simul verbi latices potentis,
Et sitim mentis saliente lympha
Irrigas fotæ super Israël
Flumine vivo.

Cur tamen ripa bibit ex utraque
In lupum sic deterior furentem
Grex rudis jamjam crepitante maxilla
Abripi in alvum?

O sagax Pastor sociati ovilis,
Quod sub Augusto coit penate,
Quin tuos ripæ ulterioris agnos
Vris amore.

Tondeant florem cytisi sub iisdem
Collibus, jungant sociale vellus,
Agnæ balatu moveatur agnæ,
Seque requirant.

Turba cælestis neque Langobardas
Jecerint hastas, neque cor amicum
Sauciet torta rigidus cateia
Parcere Teuto.

Pace conjunctis bona deinde constant,
Auræ divæ comites puellæ
Faustitas & Latitia & fluente
Copia cornu.

Christe tutamen folii Borusfi
Inferas umbram bone Fridericis,
Principi gentis bene feriatae
Mentis ad aram.

Rex tui regni regat ipse sese,
Deinde subjectos: niteat Sophiæ
Inter augustas bonitate mentes
Lucida gemma.

Jubilis tantum numeret nepotes
Regis intacti vitiis propago,
Surgat ex sese foliis propinquum
Solis ad orbem.

Laudis & regni cumulator heres
Currat ad palmas patrii decoris,
Promat ætatem saturante fudo
Purpureum ver.

Ceteram

Ceteram stirpem vegetam Spreanzæ
 Arboris fervet Pater atque custos
 Prusicæ gentis, viridante major
 Principis umbra.
 Miles & Prusus pietate vincat,
 Excubet templis docilis Minervæ,
 Et Dei cultus statuat tremendæ
 Fulmine dextræ.
 Pareat pubes monitis paternis,
 Tendat & gressum sub honesta divæ
 Docta Virtutis, generosa mente,
 Sed mage Musæ.
 Gaudeant matres viridi suorum
 Laurea, effusum repetantque summis
 In decus recti locupletioris
 Ditibus aurum.
 Incidat tota regione tectis
 Lene tranquillum, sedeatque læta
 Cum nuru focus, quatiante risu
 Molliter ora.
 Defluant arvo mala gens locustæ
 Turpe vescentes dape non coëmpta,
 Nec lues atræ, Libitina fœda
 Corpora vexent.
 Curia & leges celebrentur, iræ
 Flebiles ponto rapiantur imo:
 Balthicum contra decorent opimæ
 Præmia clasfis.
 Hæc DEVM sentire, fatumque carne,
 Spem bonam certamque domum reporto,
 Doctus unius chorus atque trini
 Dicere laudes.

CARMEN

CARMEN SÆCULARE
IN
JUBILÆUM AUGUSTANÆ
CONFESSIONIS

Secundum,
nomine Studiofæ Juventutis Academicæ
in
Alma Francofurtensi ad
Viadrum

cantatum,
M D C C X X X . d . X X V I . Jun.

Obstupet attonitus, memori qui mente revolvit,
Confilii quam mira Dei sapientia nullis
Cognita limitibus, nulla penetrabilis arte,
Angelicum superans, nedum mortalia! captum
Se fiterit: dum parva salus, dum missus ab alto
Aequævi patris folio *Rex Maximus* ultro
Virgineam nostra caussa descendit in alvum,
Quem mundus non ipse capit. Sic conditor orbis
Humani generis pars exstitit, atque Redemptor,
Orci dum repulit vires, & spicula fregit
Morte sua, vitæ Princeps, mortemque fugavit.
Errorum tenebras radianti lumine verbi
Suppresit, verum *Triados* de Nomine cultum
Instituit, populum multis e gentibus unum
Facturus, mandata tulit de femine puri

Dogma.

E
Dogmatis, asidua præconum voce serendo,
Et grege pascendo, vero Pastore sub ipso.
Qui licet aetherias peteret Patris accola sedes;
Omnipotente tamen cura fulciret Ovile
Hocce suum, valido cæli munimine tutum,
Flaminis atque Sacri dotatum munere totum.

Sic fundata *Novi* primum aurea *Fœderis* ætas,
Aurea, doctrinæ Christi spectanda nitore,
Aurea, dira cavens animæ contagia labis,
Aurea, non stygiis fœdari passa lacunis,
Non mundi corrupta dolis, non perdita fastu,
Non impostorum vitiis eversa nocivis.
Et quamvis fremerent Reges, populique, Ducesque
Exosi veri studium, quos impius error
Fecerat hostiles, summoque ardore pararent,
Qua possent opera, ferro, flammaque, fameque
Tollere Christiadum nomen, ne sancta propago
Cresceret, ast subito prima succumberet herba;
Non valere tamen violentæ robora gentis,
Bacchantesque minis dextræ, rabiesque Potentum
Exiguum mactare gregem, caligine lucem
Subruere accensam: veluti sed in ignibus aurum
Spectatur; pariter sævo flagrante tumultu,
Lux Evangelii radios spargebat ad omnes
Terrarumque marisque plagas, surgebat ubivis
Lata seges *Domini*, numero crescente piorum.
Religio puro sic longe purior auro,
Devote servata diu tot gemmula sordes
Inter, in unius venerandi Numinis omnes
Detinuit cultu, concordia pace fideles,
Affluxu variis e terræ finibus auctos,
Ævi per quatuor currentia secula, & usque
Ad *Constantini* felicia tempora *Magni*.
Quo regnante suum visa est conscendere culmen,
Terrarum Dominos inter pomoeria figens,

)(

Et

Et late diffusa potens Ecclesia Christi
Viribus, ut ferme totum percelleret orbem.
Adspicit intortis Domus hanc Plutonia sortem
Luminibus, florere bonos pacemque Regentum
Exceptam sinibus, cultam pietatis honore,
Sanctorum plaudente choro, cantante triumphum.
Impatiens iræ, stimulis agitatus iniquis,
Concilium ferale vocat Pater ipse silentium:
Innumera pestes Erebi, quas fœda sinistro
Nox genuit fato, iussæ glomerantur in unum,
Complentur piceo ferrata sedilia cætu,
Taliaque obscuro prorumpunt Ditis ab antro
Verborum portenta, sono terrentia cuncta:
Siccine tranquillo ducentur secula cursu?
Sic fortunatæ vivent sine crimine gentes?
Quæ nova suppressit nostros clementia mores?
Quo periit sceptri truculenta potentia nostri?
En, quævis sunt plena sacris, Concordia, Virtus,
Cumque Fide, Pietas communi laude coluntur!
Eja truces agitate faces, flammæque furoris
Ardentes aperite vias, erumpite, summa
Miscentes imis, subvertite sacra profanis,
Et rerum vexate fidem. Non plura loquutus;
Improba nam surgens tristi de sede Megara,
Quam penes insanæ mentis vaga nubila, pleno
Agmine cunctorum scelerum ringente ministrant,
Demandata sibi molimina dicta poposcit.
Protinus ex iussu Dominæ, promissa parantis,
Error & Impietas, gemina feritate potentes,
Juratas junxere manus; Acheronte relicto,
Invasere homines externo sole calentes:
Ille, animis tendens laqueos ignava ferebat
Otia, mox quicquid docti simul atque politi
Vel pulchri speciem facti vel ferret honesti
Sustulit, insulsoque dedit ludibria vulgo:
Hæc, cunctis inimica Sacris, ea polluit ausu

Horren-

Horrendo, cultumque Dei temeraria verum
Inventis sedare novis non destitit, usque
Donec adorandum Caput hoc, quo stante vigeat
Relligio, *Christum*, mundi dementia tandem
Sperneret, & Monstrum summa Babylonis in arce
Erigeret, cujus nutu penderet olympus,
Quod leges, quod jura daret, quo nulla tyrannis
Subiectos premeret scelerata savius arte,
Cujus avaritiam, luxum, fastumque protervum
Ambitus haud mundi caperet spatiosus, & ipsis
Criminibus quamvis laxarent fræna metalla.

Hinc illæ lachrymæ falso de gurgite fuscæ
Luctantis gemitus, lamentorumque precumque.
Hinc illi ardores, queis desolata Sionis
Filia, non isto cessabat tempore cæli
Occlusas pulsare fores, instare querelis
Illorum, stabili qui de fundamine recti
Non poterant penitus flecti, tacitique fovebant
Intemerata Dei cultus mysteria sancti,
Gliscebatque animis tectè scintilla salutis.

Insultus Satanæ tantos, tantosque malorum
Errorum tetra latices sub nocte fluentes,
Denique sollicito lustrantia fidera nisu,
Luctiferis concepta modis tot vota precantum,
Tot planctus, tot acerba genas fulcantibus ora
Fletibus, ambiguo trepidas tot pectore luctas,
Non tulit electi Dominus fundator Ovilis,
Sed proprias respexit oves, rabidisque luporum
Faucibus eripuit, tumidos frendentis Averni
Corripuit fluctus, nebulas disperfit opacas,
Solis Justitiæ radios Ecclesia rursus
Pressa quidem, sed non tenebris oppressa, recepit.

Namque ubi Cælituum resonarent classica cornu,
Publica vincentis canerentque celeusmata JESV,
Ut selecta *Ducis* sequeretur turba piorum
Signa sui, æternis solantia corda brabeis:

XX 2

Illico

Illico conferti pretioso munere Divi
Flaminis, atque animos forti (ne praelia vincant)
Præsidio instructi, Testes fideique probata
Surrexere Viri, variis in partibus orbis,
Vno sed veri studio, successibus æquis,
Hostes consimili fundentes robore, quorum
Arma fuere Dei verbum, constantia, candor,
Vnica cura operis, *libertas Religionis*.
Surrexere Viri, totidem ceu lumina mundi,
Lustrantes veri iubaris splendoribus, orbam
Lucis progeniem, mundatam sanguinis *Agni*
Adpersu, & cælo monitam gaudere sereno.

Prodeat, ac felix hodie Germania testem
Tantorū peragat solemnī iure bonorum.
Magnanimū recolat memori cum laude *Lutherum*,
Palladium fidei patriis qui primus in oris
Erexit, quatiens forti contraria dextra
Fulmina, quæ Latii veniebant sede Tyranni,
Qui reagens hominum fraudesque dolosque malorum
Arguit, atque sui proscripsit dedecus ævi,
Barbariem domuit, Scripturæ vincula solvit,
Præstigias fudit veteres, pietatis ad aras
Stravit iter, præcepta Dei veneranda deserto
Ore suos docuit, vitæque beata reclusit
Ostia, cælestis Paradisi Ianitor horti.
Utque sui partes impleret muneris omnes;
Falsa venenatæ voluit convitia lingvæ
Tollere, & incertis doctrinæ carbasa ventis
Impelli, ne quis vana ratione putaret,
Convellique simul vastis agitata procellis:
Proposuit fidei cynosuram, clarius in qua
Quolibet ac speculo credenda, colenda, tenenda,
Discipulis *Christi* veris, contenta, paterent.

Hæc illa est Celebris Confessio, cujus ad ortus
Sancti Evangelii codex consultus, & unus
Fons habitus, similis cui sit qui profluet amnis.

Hæc

*Hac illa est celebris Confessio, Vindellicorum
Augustæ, Augusto Carolo quæ tradita Quinto
Constitit, ante duo jam secula, nullius unquam
Judicio turpem iusto passura repulsam.*

*Hac illa est celebris Confessio, tertia cujus
Pace bona, plausuque sacro, nunc incipit ætas.*

*Festa dies oritur: Salve gratisfima! nam te
Jubila poscentem Pater Almus ab æthere misit.
Salve læta dies! nam tu charissima nobis
Dona refers, nullis æquanda nitoribus auri,
Aut gemmæ, aut quicquid pretiosi continet orbis.
Salve læta dies! nam tu pro vilibus istis*

*Æternas promittis opes, promittis & offers.
Festa dies oritur! citharis celebrate sonoris,
Ac hilares mulcete novis concentibus auras,
Muneris Heredes tanti, laudique vacantes
Numinis, artificii percurrere tympana tactu,
Aut svaves agitate fides; procul este profani
Curarum strepitus! laus, laus, & jubila cordis,
Lætitiæque sonent iterumque iterumque cupitæ.*

*Alme Pater! nostrum fons largitorque bonorum,
Auctor lætitiæ tantæ, Dux maxime rerum!
A Te principium nostri Tu gloria prima
Carminis, & modulo tenui ludentis avenæ,
In Te finis erit, Tu cæpti es meta laboris.
Te solum colimus Dominum pietate benignum,
Errorum tenebris, qui nos, cænoque tenaci
Inferni ereptos, celsa statione locasti,
Delitiisque Tuæ cumulans præsentia dextræ
Jubila, concessi statuis documenta favoris.
Fac rata Chære Pater! Cælo quæ vota Tuorum
Sunt hodie transmissa, bonam neu desere causam.
Te careat querulis Ecclesia Præsede tuta
Luctibus, exultans nitidum caput efferat ultra
Adversi fluctus pelagi, surgentis in altum.
Relligio puræ tandem iam reddita luci,*

Fulgore irradiet totum penetrabilis orbem.
Exsulet ex animis quorumlibet error iniquus,
Prisca superstitio, purgataque sacra frequentent
Una omnes, pacemque colant, & fœdera pangant.
Protege Cœlesti *Regnum* tutamine Nostrum.
Sisque *Pater Patris Patria, Pater optime, Regis,*
Ejus & Imperium serum protende per ævum,
Pacifico cujus sub fidere nulla sinistra
Ominis occursat facies, lætantur honestis
Virtutum studiis artes, rectumque fidesque
Pasibus incedunt paribus, pietasque pudorque;
Rerum summa: Sacris grata alcedonia currunt.

Ultima subjicimus votis jam vota: Perennes
Esse velit flores Divina potentia Sedis
Musarum, Wiadri placidis quæ confita ripis,
Clarorum rara gaudet virtute Virorum,
Nobilis & turba varia de Gente Juventæ,
Quæ modo læta suos applausus plausibus addit
Gratantum, *Wiadrus* jucundo murmure voces
Excipit, atque sonos cœlo transmittit ovantes.
Numinis adspiret festis benedictio sacris,
Instilletque animis studium pietatis, ut aucta
Cum pietate fides, præmuniat ægide forti,
Palladis ambrosia saturos ac nectare Gnatos.
Pax Urbis, Populique salus, & gloria nullis
Marcescant seclis, recolat pia júbila semper
Posteritas, celebranda novis ex ordine Fastis.

SACRIS

SACRIS
SAECULARIBUS
DE
OBLATA
CONFESSIO
AUGUSTANA,
IN ALMA VIADRINA

D. XXV. Jun. MDCCXXX.

CELEBRANDIS

APPLAUDIT

JOANNESGUILIELMUS HOFFMANNUS,
ZITTAVIENSIS.

Viderat infando penitus confecta dolore
Augustam properare suos Germania Patres,
Viderat, & dubia spes abjicienda salutis
Inter funestas lacrymas inopina redibat;
Cum caput & manicis languentia brachia tollens
Tristis adoraret tremebunda voce Pronæam:
Quem finem immensi facies mihi Diva laboris?
Rumpe moras, & turpe jugum, quod ferre coacta
Excudere haud valeo, post tot suspiria frange.
Esse tuum fateor, quod me nec saepe timentem
Cæca superstitio rapidis submerferit undis,
Nec quoque Pontificis regnandi insana libido
Prostratam pedibus dudum calcarit iniquis.

Redde

Redde diem miseræ, dispelle crepuscula noctis,
Augustamque mihi lucem qui mittat, Olympum
Esse jube. Tuus hic labor est, Tu dirige cœpta,
Fleete animos Procerum, & demulce Cæsaris iram.
Dixit. At in cœlis iteratas Diva querelas
Audit, & extemplo vigiles vocat ipsa ministras,
Advolat huc Pietas, animo Constantia firmo,
Et complet numerum stabilis Fiducia trinum.
Quas ubi præsentem videt adcurrisse Pronœa,
Accelerate gradus, inquit, Germania vestram
Infelix exposcit opem, succurrite pressæ,
Sub clypeis nostris hostes eludite sævos,
Pontificisque gregem compefcite dira minantem.
Nec mora, defiliunt in terras aère septæ,
Torgaviam celeres adeunt & Leucorin almam,
Saxonis Herois mentem stimulare JOANNIS
Incipiunt, causæque bonæ sperare triumphum
Non vano augurio suadent. Mox Principis aulam
Mandati memores linqunt, properoque volatu
Lutherum Jonamque adeunt, mitemque Philippum,
Quosque vident veri & justî rediisse patronos.
Horum animos firmant curis ingentibus ægros,
Ne timeant laqueos Papæ, nec cedere victi
Consilium capiant properum, meliora daturam
Sollicitent precibus repetitis fata Pronœam.
Talibus hortantur dictis, ipsique Joanni
Jungunt se socias, & Divæ Jussa sequentes
Intrant Vindelicam velatæ nubibus urbem.

Non isthac latuere diu molimina Papam,
Ille suo regno metuens, quod finibus amplum
Reddidit, Hesperiasque potens extendit ad oras,
Multa animo volvit dubius, palletque tremitque,
Sæpe pedum digitis nimio terrore remisissis
Concidit in terram subito, (non omine dextro)
Frigentesque pedes solita oscula ferre recusant.
Ira metum superat, collectis viribus alto

Descen-

Descendit folio, frendet, vultuque minaci
 Triste caput quassat, triplici nutante corona.
 Immemor ipse sui media bacchatur in urbe,
 Lustrat septenos, Romæ fundamina, colles,
 Tundit eos pedibus demens, septemque sorores,
 Quas in eis habitare putat, voce evocat alta.
 Hos ubi pulsavit cœperunt murmure cuncti
 Horrifico resonare, tonant, & sulphure spisso
 Eruçant fumi nubem piceæque favillæ,
 Haud secus ac Ætnæ septem, septemque Vesevi.
 Profilit e calido cujusvis turbine collis
 Fœmineum os vultumque gerens mirabile monstrum,
 Dira superstitio ventosis evolat alis,
 Regnandi sequitur simul exitiosa Cupido,
 Adspectu gavisæ suæ, quæ sapius ipsi
 Tempore longinquo fuerat domus hospita, Romæ;
 Sævities, & Avaritiæ volat horrida larva,
 Concutit exurgens turpes Audacia tædas,
 Advolat Impietas, clauditque Astutia turbam.
 Mox ubi secretas terræ rupere cavernas,
 Confurgunt, fœdasque manus & brachia jungunt,
 Vulturibus similes errant tecta omnia circum,
 Vulturibus similes, quos urbis Romulus autor
 Vidit hians, nisi quod portendant tristia fata
 Mutato auspicio. Lætus videt agmen amicum
 Ædibus ex altis ad se contendere Papa,
 Pontificale petunt solium, patremque loquaci
 Murmure circumstant, mandata audire paratæ.
 Ille statim: Vestros, inquit, turbare recessus
 Ne temere videar, paucis cognoscite dictis.
 Ecquis in hoc regnum sceleratas vertere dextras
 Ausit, & illæfos fines invadere nostros?
 Hunc furor insanus vel confidentia demens
 Nutrivit, docuitque truces accendere turbas.
 Tanta fovet gremio Germania monstra nefando,
 Quæ sacra, quæ mores, quæ religionis avitæ

)()()

Vallatum

Vallatum audacter conantur tollere cultum.
Vos, quorum auxilio res stat Romana vigetque,
Vos, quibus æternis dudum fuit usa columnis,
Vi vel consilio damnatam evertite sectam,
Ne vaga profiliat, nostrum ne limite moto
Imperium minuat, viresque retundere tentet.
Omnis in Augusta nobis spes vertitur urbe,
Hanc petite, & Proceres sacro stimulate furore,
Pacificos animos occultis urite flammis,
Arma, vel his graviora malæ fera vincula sectæ
Intentate, minas per totum spargite vulgus;
Hic Husi quoque supplicii meminisse juvabit,
Exstructisque rogis, ni cedant, subdere flammæ.
Sic ait. Extemplo mandata faceffere Papæ
Contendunt, comitesque sibi sociosque reposcunt,
Deligitur sacro splendens Campegius ostro,
Et cui garrulitas erat improba Pimpinellus.

Jamque iter Augustam carpunt stridente volatu.
At regina videt conamina tanta Pronœa,
Cernit ut ætherias agmen volitare per Alpes
Tentat & infaustum pietati indicere bellum.
Diva tamen vigilem versat pro Cæsare curam,
Cæsare quo nulli fuit aut prudentia major
Aut pietas. Hunc Augustam comitatur euntem,
Disjicit insidias Papæ conamine structas,
Solertique oculo Carolum fratremque gubernat.
Ille labor Divæ, nec tres dormire ministras
Augustæ patitur, quas jusfit adesse Joanni.
Jamque urgetur opus, socia pietate Philippus
Conscribit tabulas fidei munimina nostræ,
Ipsa regit calamum, meditantia verba ministrat,
Neve metu Papæ titubet, Constantia curat.
Interea jussu Fiducia missa Pronœæ
Tendit ad absentem cursu properante Lutherum,
Hunc cernit genibus flexis orare Coburgi,
Ipsa fidem mirata viri mentisque vigorem

Adstat

Adstat & occultis firmat pia brachia fulcris.
Haud secus ac Aaron manibus substernere Mosis
Dicitur admotum lapidem, dum sævus Amalech
Pugnat, & his precibus victus concedit & armis.
At sapiens Proceres Augusta Caesar in urbe
Cogit, & in sacris quæ sit sententia quarit;
Nobile prodit opus, quod nec delere vetustas
Nec furibunda potest Papæ convellere dextra,
Prodit & haud tumido Confessio nomine monstrat,
Vera Evangelicis quæ sit doctrina cathedris.
Angitur interea septem fera turba fororum,
Arma petunt, validosque viros educere tentant,
Eccius accurrit, Faber, & numerosa caterva
Incomperta mihi cujus nec nomina constant.
Concutiunt gladios ipso mucrone retufos,
Multaque Luthero frustra metuenda minati
Nil nisi clamores edunt, nec cominus ipsa
Conferere arma lubet, nec scripta opponere scriptis.
Nostra stat auxilio Superûm Confessio firma,
Hanc nec consiliis nec vi nec cæde nec armis
Septem Pontificis norunt turbare ministræ.
Ite domum fatuæ (nec enim Constantia nostros
Cedere non victos patitur) vestroque parenti
Dicite Teutonicis terris rediisse salutem.
Et quamquam patriæ remanet manus altera vinculis
Nexa, tamen gestit resolutis altera nodis.
Tu quoque qui nostris quondam juga ferrea collis
Injicere haud vano tentasti fortiter ausu
Sancte Pater, tandem pietati cedere disce.
Nunc venum exponas Missas emtore carentes,
Nunc diris onera tua quas sententia damnat
Sectas, & cælum referatum claudere tenta?
Nos tua securi conamina temnere scimus,
Et sacra consilio superum purgata tueri.

Libera tolle caput, multoque, Ecclesia, plausu
Templa DEI sædo quondam fumantia thure


)()()

Quæ

Nunc Evangelica dudum resonantia voce
 Perstrepe, nec partum cessa celebrare triumphum!
 Ecce ferunt lætam volventia sæcula lucem,
 Qua tetigit Procerum Confessio nobilis aures,
 Quave superstitio nostris concessit ab aris
 Exul, & antiquas liquit perterrita sedes.
 Salve fausta dies omni memorabilis ævo,
 Salve nec nostris splendescere desine fastis!
 Sic plaudit Viadrus, veri domus hospita cultus,
 Sic caput extollit latus, Tiberinaque ludit
 Imperia, & cælum votivis cantibus implet.
 Tu quoque, sancte DEUS, patrum miserate labores
 Accipe, quæ Tibi thura damus melioris odoris,
 Quam quæ confecto Papæ moderamine cultu
 Sæpe Tibi invisit olim cumulavimus aris.
 Fac ut & æterno Stirps Regia floreat ævo,
 Illa Borussia cedrus, sub cujus opaca
 Dudum Evangelici tui requievimus umbra.
 Freta Tuo auxilio lætans Ecclesia gestit.
 Hanc serva & tenebras a nostris finibus arce,
 Ipse pater tutorque sies stabilisque columna,
 Denique tranquillam patriæ concede quietem.

Weil in denen gesamleten Nachrichten wegen Eilfertigkeit
 des Druckes verschiedene Fehler eingeschlichen;
 So hat man die vornehmste corrigiren wollen.

- Pag. 5. ist bey dem Lateinischen Chronodistichon in dem Pen-
 tametro nach dem Worte Deus, das Wort at ausgelassen.
 Pag. 7. lin. 1. ist gesetzt einmarhiren pro einmarchiren.
 Pag. 14. lin. 9. ist gesetzt Heer pro Herr.
 Pag. 19. lin. 22. comperative pro comparative.
 Pag. 26. lin. 21. ihre pro ihrer.
 Pag. 27. lin. 7. Coufu pro Cause.
 Ead. pag. lin. 14. Cause pro Cause.
 Pag. 31. lin. 7. ist das Wort handelt ausgelassen.
 Pag. 33. lin. 25. fortissimo pro fortissimos.
 Pag. 40. lin. 17. zuverlustigen pro zuverlässigen.



Gilb

33833

1280-

Sammelband. 33 Schriften zur Reformationgeschichte, darunter 10 die „Confessio Augustana“ betreffend. Altdorf, Frankfurt/O., Greifswald, Halle, Helmstedt, Jena, Jüterbog, Kopenhagen, Leipzig, Stargardt, Stettin, Wittenberg, zwischen 1592 u. 1731, 4to. Zus. ca. 1450 Ss. Mit einigen Holzschn. u. Druckermarken. HLdr. d. 18. Jh. (bestoß., Rück. läd.). 1280,—

Sehr interessanter Sammelband, meist Akademieschriften, zur Geschichte der Reformation, besonders zum „Augsburger Bekenntnis“, dessen 200jähriges Jubiläum eine große Anzahl von Würdigungen und Untersuchungen hervorgerufen hat. Zu den Autoren zählen A. C. Bauer, St. Besecenius, C. A. Bürger, Dan. Cramer, H. Ch. Crellius, P. Dolscius, G. Dünnebier, P. J. Eckhard, C. T. Rango, L. Rhodomanus, Nic. Selnecker u. v. a. Eine größere Zahl der Schriften sind sowohl Schottenloher als auch sogar Hammer (Melanchthonforschung) entgangen. — Bei 2 Schriften fehlt je 1 Blatt, teils gebräunt, einige alte Eintrag. — Genauere Angaben auf Wunsch möglich.

STMGRI

Lederriemen, Eichen, neu
Überapparat angebracht

4/187/10

